



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Quæ requirantur ex parte obiecti ad hæresim, & hæreticum
constituendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

duplicem significationem, quam verba poterant habere. Sic etiam sacerdos, qui recitans in Missa epistolam Pauli ad Corinthios verba illa *hoc est corpus meum*, profert cum intentione consecrandi tunc hostiam presentem, consecrat verè illam licet auditores eam significationem non percipiant, sed intentionem speram legendi epistolam. Quia nimirum quamvis ad consecrandum requirantur verba significationem sensum affirmatiuum, & enunciatiuum iuxta communem sententiam, & hic sensus non percipiatur ab auditoribus, sed merè recitatiuus epistolæ Pauli; sufficit tamen, quòd verba illa de se illum sensum significare possint, & quòd sacerdos eum significare intendat, vt sacerdos dicatur suam intentionem, & sensum internum exterius expressisse. Similiter ergo sufficit ad hoc, vt dicatur suam hæresim internam exterius expressisse, licet ob aliquas circumstantias non potuerit percipi ab auditoribus sufficienter ad eum damnandum vt hæreticum, sed ad summum ad habendam de eius hæresi suspensionem. Quoties ergo signum profertur externum, aptum, secundum se ad hæresim internam significandam, & animo eam significandi, ille erit hæreticus externus in foro conscientie, nec in hoc poterit contingere paruitas materiae, cum qualibet hæresis interna sit materia grauis, & exterius signo de se sufficienti exprimat; si enim signum non sit de se sufficiens, nullo modo faciet hæreticum externum etiam leuiter: sicut verba ad consecrandum, vel absolendum non possunt habere leuitatem in significando, sed vel significant sufficienter, vel nullo modo significant, aut faciunt consecrationem, aut absolutionem. Quæ autem sunt signa externa de se sufficientia ad exprimendam hæresim internam, & ad incurrendam censuram, dicemus infra disp. 2. 3. agentes de pœnis spiritualibus hæreticorum.

31
Vt de definitionibus hæresis formalis.

Ex dictis in hac sectione colligi iam potest definitio hæresis formalis, cuius varias definitiones, seu descriptiones ex Patribus, & aliis refert Hurtado disp. 82. sect. 1. Suarez disp. 19. sect. 5. num. 13. sic definit. *Hæresis est voluntarius, & pertinax error in materia fidei Catholica contraria in homine, qui se Christianum esse proficitur.* ipse verò Hurtado. §. 6. sic definit. *Hæreticus est, qui retento Christiano nomine, post acceptam fidem asserit, quòd censet esse contrarium Ecclesie Catholicae.* Vtraque definitio placet, & in vtraque prudenter additum est, *in homine, qui se Christianum proficitur, vel retento Christiano nomine.* Nam qui etiam post baptismum negat totam fidem Christianam, non est hæreticus, sed Paganus, vel Iudæus; vnde licet ille neget etiam purgatorium, in quo errore cum hæreticis sentit, ille tamen error in eo non est hæresis, quia ad denominationem hæresis non debet attendi illa sola assertio secundum se, sed etiam qualiter se habeat homo ille circa alia dogmata nostræ fidei; nam si alia concedat, illa assertio erit hæresis; si verò alia omnia neget, non erit hæresis, sed pars paganismi. Vnde non omnis assertio contra fidem est hæresis: nam hæc est propositio contra fidem *Iupiter, & Mars sunt veri Dei.* non est tamen hæresis, sed propositio ethnica, vel Pagana sicut neque hæc est hæretica, *Christus non fuit Messias promissus*, licet sit contra fidem Ecclesie Catholicae; sed est propositio Iudaica, & Iudaismus si profertur à Iudæo proficiente legem Moysis, & acceptante verus testamentum: si

autem profertur à Pagano, non erit propositio Iudaica, sed pars paganismi. Quòd idem cum proportione dicendum est de hæresi obiectiua, quæ est obiectum hæresis formalis: ad eam tamen non sufficit, quòd sit contra dogma fidei Catholicae, sed semper debet esse cum respectu ad hominem profitentem Christianissimum: nam idem obiectum negatum à Iudæo, vel Pagano non erit hæresis obiectiua, sed iudaismus, vel paganismus partialis obiectiuus.

Vt tamen appareat congruentia harum definitionum, examinanda sunt singillatim, quæ ad hæreticum constituendum requiruntur: nam in hac sectione solum generaliora dubia proposuimus, in sequentibus autem videndum erit in particulari, quæ conditiones requirantur ex parte obiecti, atque etiam ex parte subiecti: ad quæ duo potissimum capita reduci possunt omnia, quæ ad constitutionem hæretici requiruntur.

SECTIO II.

Quæ requirantur ex parte obiecti ad hæresim, & hæreticum constituendum.

EX iis, quæ supra dicta sunt de hæresi obiectiua, constat ex parte obiecti requiri, quòd obiectum sit aliquid contradicens obiecto fidei: non dico *obiecto reuelato*, quòd per fidem creditur, sed obiecto fidei, quòd latius patet quàm obiectum reuelatum, & comprehendit obiectum formale, & materiale fidei. Nam fides credit non solum obiecta materialia, quia reuelata sunt, sed etiam ipsam reuelationem, quæ propriè non creditur, quia reuelata sit, & ipsam etiam Dei veritatem, quæ licet sit reuelata etiam, & possit credi reflexè propter reuelationem, & esse obiectum materiale fidei: sed tamen provt est obiectum formale fidei, non creditur propter reuelationem. Et tamen, qui negaret veritatem Dei, vel eius reuelationem de Incarnatione, etiam si non negaret Incarnationem, non minus esset hæreticus, quàm si negaret Incarnationem ipsam, quia iam negaret obiectum fidei Catholicae.

Constat etiam non requiri, quòd obiectum hæresis opponatur articulis fidei, sumpto nomine *articuli*, strictè, provt significat præcipua quedam fidei dogmata, quæ continentur in symbolis, sed sufficere quòd opponatur cuiquamque veritati, quam fides Catholica credit, quæcumque illa sit, quare qui pertinaciter negaret Isaac filium Abraham filium, vel Iacob fratrem gemellum Esau, & natu minorem, non minus esset hæreticus, cum ea assertio opponeretur rei reuelatæ, quam fides credit.

His suppositis, aliquot restant difficultates. Prima est, an dissentiens rei reuelatæ sibi à Deo priuata reuelatione sit hæreticus; an verò ex parte obiecti requiratur, quòd obiectum negatum sit reuelatum à Deo reuelatione communi toti Ecclesie. Prima sententia docet, hunc esse receptam hæreticum. Ita Vega, & Caratius, quos affert, & sequitur Thomas Sanchez lib. 2. in Decretal. c. 7. n. 32. Suarez disp. 19. sect. 5. n. 11. Azor tom. 1. lib. 8. c. 9. qu. 4. Coninch disp. 18. dub. 7. n. 118. Castr. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. n. 12. & alij.

alij, qui tamen non conueniunt postea, an hic incurrat pœnas Ecclesiasticas hereticis impositas. Affirmant enim incurrare Sanchez, & Coninch *locis citatis*, negant verò Suarez, Azor, & Castro Palao *ubi supra*.

Secunda sententia negat, illum esse hereticum; ita late Lorca *disput. 39.* qui tamen excessit dicens, ita sentire eos etiam, qui dicunt reuelationem priuatam, & eius obiectum credi eodem habitu fidei infusæ, quo creduntur reuelationes communes, quod tamen falsum est: nam Suarez; & alij, qui id dicunt, censent hunc esse hereticum. Eam tamen sententiam tenent omnes ij, qui dicunt reuelationem priuatam non credi eodem habitu fidei infusæ, quo reuelationes communes, quos adduximus *supra disput. 1. sect. 11.* tenent etiam Hurtado *disput. 80. sect. 3. §. 12.* & *disput. 82. sect. 5. §. 3. & sequentibus*, & alij.

In hoc puncto duo possunt esse dubia, alterum de re, alterum de nomine. De re erit an dissentiens reuelationi priuatæ incurrat pœnas Ecclesiasticas hereticis impositas: de nomine autem erit quæstio, an ille dicendus sit hereticus, esto pœnas Ecclesiasticas hereticorum non incurrat. Et quidem iam supradicta *disput. 1.* diximus reuelationem priuatam eodem habitu fidei infusæ credi posse, quando alicui sufficienter proponitur. Diximus etiam *disput. 17. sect. 5.* committi verum peccatum infidelitatis ab eo, qui eam non reciperet, atque adeo contra Hurtadum probauimus, eo etiam peccato utpote vero infidelitatis peccato, habitum fidei infusæ disperdi. Quod intelligi debet, quando reuelatio sufficienter proponitur, cum euidenti iudicio credibilitatis, seu obligationis firmiter, & super omnia credendis; quæ tamen talis, & tanta obligatio non semper interuenit in eiusmodi reuelationibus, sed fortasse rarius: potest tamen aliquando interuenire, sicut etiam Prophetæ absque alia præcedente Ecclesiæ propositione, tenebantur credere firmiter quæ Deus illis reuelabat, ut ea toti Ecclesiæ proponerent.

Quibus suppositis, ut à controuersia de re incipiamus, mihi placet secunda sententia, quod dissentiens eiusmodi priuatæ reuelationi non incurrat pœnas Ecclesiasticas hereticis impositas, cuius contrarium singulariter asseruerunt Patres Sanchez, & Coninch contra aliorum omnium sensum, & contra praxim ipsam: neque enim vnquam ab initio Ecclesiæ declarant, aut puniunt tanquam hereticum eum, qui priuatam reuelationem non credidisset: sed eiusmodi peccata diuino iudicio relinquit. Quomodo enim potest in iudicio Ecclesiæ æstimari hereticus, vel tanquam hereticus puniri, qui credit, & profiteretur omnia, quæ vniuersa Ecclesiæ credit imò cum heretici ab Ecclesiâ reconciliantur facta prius abiuratione suæ hæresis, & præmissa fidei professione, non apparet, quomodo hereticus ille reconciliandus esset, vel quam fidei professionem deberet facere: nam professio fidei iure statuta, non continet retractationem illius hæresis contra reuelationem priuatam. Nec dici potest, cogendum illum tunc ab Ecclesiâ ad abiurandam illam hæresim, & credendam, ac profitendam rem sibi peculiariter reuelatam; hoc enim non posset Ecclesiâ prudenter præcipere, cui non constar de veritate reuelationis, imò nec rei reuelatæ: imò nec apparet quomodo posset reconciliari cum Ecclesiâ, qui nunquam ab

Ecclesiâ separatus fuit, nec ab ea dissentit, sed potius cum ea in omnibus sentit, & eandem Ecclesiæ fidem tenuit. Aliam congruentiam addit Suarez *loco citato*, quia nimirum peccatum illud vix vnquam posset esse sufficienter externum; cum non possit Ecclesiæ exterius constare, quòd ille habuerit reuelationem veram obligantem ad firmiter credendum. Quod explicari potest, quia etiam si ipse dicat exterius, se non credere illam reuelationem, ex hoc non potest conuinci quòd peccauerit contra fidem, cum non possit conuinci de obligatione credendi illi reuelationi: nec enim ipse moraliter loquendo dicet, reuelationem sibi esse sufficienter propositam, & tamen se eam nolle credere, imò nec heretici hoc dicunt de rebus nostræ fidei. Posset autem aliquis ita insistere, ut vtrumque simul diceret, & manifestaret se esse infidelem contra reuelationem sufficienter propositam: adeo dixi vix vnquam id posse contingere, quia casus ille metaphysicus potius est, quam moralis, nec pro casu illo imaginario, & metaphysico Ecclesiæ pœnas statuit, nec tunc etiam esset hereticus in sensu ecclesiastico, cum homo ille ab Ecclesiæ sensu non discederet. Denique ad hoc ipsum conducere possunt, quæ statim asseram in controuersia de nomine ad probandum illum non esse dicendum hereticum, quæ eo ipso probant non incurrare Ecclesiasticas pœnas hereticorum.

Addit Hurtado *dicta disput. 82. §. 43.* aliud argumentum ad hoc idem probandum: quia nimirum non solet Ecclesiæ punire tanquam hereticum eum, quem plures viti docti probabiliter iudicant non esse hereticum, sed solum notorium hereticum ita puniri: sed multi probabiliter docent dissentientem reuelationi priuatæ non esse hereticum, nec perdere habitum fidei, imò nec assensum illius reuelationis elici ab habitu fidei infusæ; ergo ille non incurrit pœnas pro hereticis constitutas. Hoc tamen argumentum non videtur solidum, quia leges contra hereticos sunt vniuersales comprehendentes omnes hereticos, quicumque illi sint. Si postea verò Doctores disparent, an hic vel ille sit hereticus, & alij affirmant, alij negent, non sequitur quòd in omni sententia ille talis liber sit à pœnis; imò illi qui affirmant esse hereticum, eodem modo affirmant incurrare pœnas hereticorum. Et quamuis in foro externo quoad pœnas à iudice exsequendas, possit iudex mitiorem partem sequi, & non infligere eas pœnas, amplectendo sententiam contrariam probabiliorē, vel æquē probabilem: quoad pœnas tamen, quæ non indigent iudicis opera, non est dubium quòd incurrantur, si sententia affirmans esse hereticum sit vera; licet contraria sit probabilis. Sicut etiam in materia Simoniaci, & aliis materiis solent esse variæ Doctorum opiniones, an tali, vel tali casu committitur v. g. vera simonia, & quamuis aliqui id probabiliter negent, alij tamen, qui affirmant, dicunt consequenter, quòd eo casu incurrantur pœnæ simoniaci constitutæ, quia leges vniuersaliter loquuntur, nec limitant pœnas ad solos illos, qui in omnium sententia simoniaci sint. Imò in hac eadem hæresis materia solent esse opiniones an in aliquibus casibus contrahantur pœnæ, & censuræ hereticorum, quibusdam affirmantibus, & quibusdam negantibus, ut testatur idem Hurtado *disput. 81.* per varias sectiones, & tamen non minus incurrentur eæ pœnæ ex eo quòd alij negent

gent incurri, vel illos esse hæreticos externos, nec ea de causa Ecclesia minus intendit pœnas in eos, ac censuras proferre, si tamen verior sit sententia affirmans eos esse hæreticos externos.

38
Obiectio. 1.
Contra hanc primam partem, & assertionem obicitur primò ex Sanchez, *vbi supra num. 3. 2.* & Coninck *num. 120.* quia licet Ecclesia non proponat reuelationem illam priuatam, sed tamen proponit, Deum esse summè veracem, & illi credendum, quando sufficienter alicui reuelatio proponitur, quibus se opponit dissentiens reuelationi priuatæ sufficienter sibi propositæ, dum negat esse verum id, quod Deus illi reuelat, & per consequens implicite, & moraliter Deum facit mendacem: ergo opponitur Catholicæ doctrinæ & per consequens est hæreticus. Hoc tamen argumento Suarez, & alij vsi non sunt, & merito: quia hic nullum habet assensum contradicentem assensui fidei Catholicæ: nam in primis non negat, Deum esse summè veracem, imò id apertè fatetur: neque etiam negat Deo sufficienter proponenti esse credendum: nam aliud est non credere diuinam reuelationem sufficienter propositam, aliud verò est dicere, non esse illam credendam. Sicut qui mæchatur non habet iudicium contra fidem dictantem non esse mæchandam: non enim dicit esse mæchandam, sed mæchatur, quamuis credat, non esse mæchandam: sic qui non credit reuelationem sufficienter propositam, non dicit illam non esse credendam, imò potius aduertit, & iudicat obligationem illam credendi, & ideo peccat, quia habet iudicium euidentis de credibilitate, seu obligatione credendi; & tamen in actu exercitio eam non credit: non ergo negat aliquid contra fidem Catholicam, sed facit contra id, quod fides catholica docet esse faciendum, sicut omnis etiam peccator facit, & non ideo est hæreticus.

39
Dices, implicite saltem negati eo casu summam Dei veracitatem: nam negatur res illa reuelata, ex cuius negatione inferri potest per euidentem consequentiam Deum non esse summè veracem: hoc enim argumentum bene concludit: *sufficienter proponitur, quod res hæc sit reuelata à Deo, & tamen res hæc est falsa; ergo aliquid potest à Deo proponi, & reuelari, quod sit falsum.* Maior autem euidenter cognoscitur in casu nostro ab eo, qui dissentiendo reuelationi priuatæ peccat grauitè contra fidem: habet enim iudicium euidentis de obligatione credendi, & per consequens euidenter iudicat, quod hæc reuelatio sufficienter ei proponatur credenda, vt reuelatio Dei. Minorem autem illius syllogismi, nempe quòd res illa sit falsa, ipse concedit, dum dissentit reuelationi & rei reuelatæ, ergo tenetur concedere etiam consequentiam, & consequens, nempe quòd aliquid reuelatum à Deo possit esse falsum, cum hoc ipsum in præmissis à se concessis contineatur, atque adeo iam implicite concedit aliquid, quod apertè est contra fidem Catholicam totius Ecclesiæ. Respondeo non negari etiam implicite summam Dei veracitatem ab eo, qui dissentit priuatæ reuelationi sibi sufficienter propositæ, neque id concludi syllogismo proposito, qui si attentè examinetur, est in quatuor terminis, & ideo non potest euidenter concludere: nam in maiori, non habetur, quod obiectum illud reuelerit, vel proponatur à Deo, sed solum quòd sufficienter proponitur vt obliget ad cre-

dendum quòd sit reuelatum, & propositum à Deo. Potest autem alicui euidenter cognoscere obligationem credendi aliquid reuelati à Deo, & eam obligationem fateri; & tamen ex malitia, vel imprudencia culpabili nolle credere, quòd sit reuelatum à Deo. Sic enim hæretici multi pertrant vim motiuorum nostræ fidei, & cognoscunt euidenter obligationem eam recipiendi tanquam fidem diuinam, & tamen eam oblinatè, & culpabiliter negant. Non ergo cogitur euidenter ad negandam veracitatem Dei, qui negat esse verum aliquid quod proponitur sufficienter cum obligatione ad credendum: neque enim est euidentis, quòd omne, quod proponitur cum tali obligatione, sit reuelatum, & propositum à Deo. Alioquin esset euidentis fides nostra, quia euidentis est obligatio credendi eam à Deo proponi, & reuelari.

Vrgebis: euidentis est, quòd nemo possit obligare ad sibi credendum, qui mentiri potest; sed euidentis est in casu posito habenti reuelationem priuatam obligatio credendi obiectum reuelatum, ergo euidentis illi est reuelationem illam à Deo esse: si enim esset ab alio non esset obligatio credendi, cum omnis alius præter Deum mentiri possit: ergo dum negat veritatem obiecti reuelati, eo ipso implicite negat veracitatem Dei. Hoc etiam argumentum nimis probat, quia probaret, fidem habere euidentiam de veritate obiecti reuelati: quare in forma respondendum est ad illud, negando maiorem; non est enim euidentis nobis, quòd non possint poni circumstantiæ, in quibus obligemur ad credendum aliquid, tanquam dictum à Deo, in quibus circumstantiis non sit Deus qui loquitur; neque enim habemus euidentiam, quòd motiua credibilitatis, quæ nobis proponuntur, non poterint poni aliter, quam à Deo loquente; alioquin haberemus euidentiam de rebus ipsis creditis per fidem. Habemus ergo solum euidentiam de obligatione credendi firmiter Deo in his circumstantiis, quia circumstantiæ sunt tales, vt licet non probent euidenter, quòd Deus sit, qui loquitur: probent tamen euidenter obligationem non dubitandi, sed amplectendi firmiter hunc sermonem tanquam sermonem Dei obscure loquentis. Sicut euidentis est obligatio adorandi absolute, & supremo cultu hanc hostiam, quæ mihi proponitur in Ecclesia, quando prudenter non est ratio dubitandi de eius consecratione, licet non sit euidentis, imò nec verum vniuersaliter, non possit intercedere eam obligationem nisi respectu hostiæ verè consecratæ, quia licet sit euidentis non esse obligationem adorandi ita hostiam, quæ scitur non esse consecratæ, vel de qua prudenter dubitatur: non est tamen euidentis non esse hanc obligationem, quando hostia reuera non est consecratæ, & id à me ignoratur. Fateor quidem, motiua credibilitatis nostræ fidei, quæ Ecclesia habet, talia esse, vt non poterint concurrere hæc omnia in reificationem doctrinæ falsæ: hoc tamen ipsum non est nobis euidentis, sed solum est euidentis motiua esse talia, quæ inducant obligationem credendi firmiter hanc esse reuelationem Dei saltem obscure loquentis, de quo diximus *supra dist. 5. sect. 1. & 2.* agentes de euidentia credibilitatis.

Secundò obicitur potest contra eandem partem conclusionis: quia infidelitas exterioris manifestata in homine Christiano reddit eum hæreticum.

cum punibilem, cum iam constet Ecclesie illum esse in eo statu; in quo non potest credere articulos fidei Catholicæ prout optret ad salutem: qui enim dissentit alicui revelationi diuinæ sufficienter sibi propositæ, non potest alios articulos credere fide diuina, sed eo ipso amittit habitum fidei infusa, vt diximus disp. 17. sect. 6. Potest autem hoc peccatum sufficienter exterius manifestari, & constare, nimirum si ipsemet, cui facta est reuelatio, dicat, ego habeo reuelationem de tali re mihi taliter factam, vt obliget ad credendum esse reuelationem Dei, sed tamen ego nolo credere, quod sit reuelatio diuina: ergo potest incurrere pœnas Ecclesiasticas tanquam hæreticus externus. Respondet ex dictis, hæreticum punibilem ab Ecclesia idem esse ac Sectarium, seu qui ab Ecclesia diuiditur: quare quodlibet aliud peccatum, quod ab Ecclesia non diuidit, etiam si ex propria confessione exterius constet, non punitur ab Ecclesia hæreticorum pœnis, quia eos solos hæreticos Ecclesia punit, quos necesse est postea Ecclesie reconciliari, & ad Ecclesiam redire. Qualis non esset is, qui credit omnia, quæ credit Ecclesia, & solum negat priuata reuelationem, quam nec ipsa Ecclesia credit, dum tamen ille neget credendum esse reuelationi priuata sufficienter propositæ: hoc enim iam esset contra doctrinam Ecclesie vniuersalis, & per consequens iam in hoc ipso discederet à communi sensu Ecclesie.

Dices, eo ipso, quod fateretur se non credere, nec recipere reuelationem priuatam sibi factam à Deo, & sufficienter propositam, significat se non credere etiam articulos fidei Catholicæ, saltem fide diuina, & prout oportet ad salutem: diximus enim supra disput. 17. sect. 5. non posse aliquem dissentiri vni obiecto reuelato sibi sufficienter proposito, & simul credere alios articulos fide diuina assensu saltem perfecto, & ex toto corde; ergo si fateretur se dissentire vni obiecto reuelato, quod credere debet fide firma, eo ipso significat exterius se non esse paratum credere articulos fidei Catholicæ, prout credendi sunt ex toto corde, & fide perfecta, atque adeo significat se discedere ab Ecclesia, si non in rebus creditis, in modo saltem debito illas credendi, quod sufficere videtur, vt puniatur tanquam hæreticus. Ad hoc responderi facile potest ex dictis illa sect. 5. vbi diximus, assensum ad alios articulos in eo, qui negat vnum, ideo non esse actum perfectum fidei, quia non procedit à voluntate perfecta, & vniuersali subiiciendi intellectum in omnibus veracitati, diuinæ, quamuis ex parte intellectus possit esse assensus firmus, & super omnia ad illum articulum, qui creditur. Vnde consequenter dicimus, eum, qui dissentit reuelationi priuata sibi sufficienter propositæ, & cum obligatione firmiter credendi, peccare quidem in hoc grauiter contra fidem: posse tamen adhuc credere firmiter omnes articulos fidei Catholicæ, & ita de facto profiteretur, se eos firmissimè credere, & tenere. Dissert ergo ab aliis Catholicis non in rebus creditis, neque etiam in assensu firmissimo ad omnes illas, sed in voluntate imperante assensum, quæ non est ita perfecta, & vniuersalis extendens se ad subiiciendum intellectum in ordine ad omnia, quæ proponi possunt sufficienter vt reuelata à Deo. Ideoque non habetur pro hæretico ab Ecclesia, quæ non punit eum, cuius intellectus in omnibus consentit Ecclesie: nam

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

hæresis saltem in sensu Ecclesie, debet consummari in intellectu, imò & in actu externo significante sensum intellectualem diuertum à sensu Ecclesie. Quod in casu posito non inuenitur, cum intellectus illius significetur, & esse possit consentiens omnino sensui Ecclesie, & firmissimè credens omnia, quæ Ecclesia Catholica credit, & sentit.

Ex his autem, quæ pro hac prima parte nostræ sententiæ dicta sunt, quæ vt diximus, erat magis controuersia de re, facilius erit probare alteram partem, quæ tangit controuersiam magis de vocibus, an ille, qui dissentit reuelationi priuata sibi sufficienter propositæ, appellandus sit simpliciter, & absolute hæreticus, prout cōcedunt Azor, Suarez, & alij; negantes tamen eum incurrere pœnas Ecclesiasticas hæreticis impositas. Nos tamen consequenter dicimus, non esse ita in rigore, & propriè appellandum: nam Ecclesia censuras, & alias pœnas vniuersaliter imponit, & siue vlla limitatione omnibus hæreticis: si ergo hic non incurrit eiusmodi pœnas, consequens est, vt ipse non intelligatur simpliciter, & absolute sub nomine hæreticorum. Nomina enim non habent aliam significationem, nisi illam, in qua communiter vsurpantur ab hominibus. Si ergo Ecclesia hoc nomine nunquam intelligit eum qui reuelationi priuata dissentit, sed eum solum qui ab Ecclesia sensu discedit, signum est, quod nomen, hæretici, non significat propriè, & in rigore eum, qui soli reuelationi priuata dissentit, & quoad alia omnia, sentit & credit cum ipsa Ecclesia.

Potè in hoc sensu nomen hæretici ab Ecclesia vsurpari, constat ex Catechismo Pij V. part. 1. in 9. art. symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, §. 1. vbi sic dicitur; *non enim, vt quisque primum in fide peccarit, hæreticus dicitur: sed qui Ecclesia auctoritate neglecta, impia opinione pertinaci animo ruerit.* Quæ doctrina videtur desumpta ex Innocentio III. in Concilio Lateranensi relato in cap. *damnamus*, de summa Trinitate. vbi cum aliquas propositiones Abbatis Ioachimi vt hæreticas damnasset, ipsum tamen auctorem dicit non fuisse hæreticum, quia iudicio Ecclesie sua scripta summisit, protestatus se eam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia eodem modo loquitur S. Thomas in 4. dist. 23. quæst. 6. art. 1. ad 6. dicens non esse hæreticum, *si aliquis simplex credat, Iacob patrem fuisse Abrahæ, quod est contra veritatem Scripturæ, quam fides profitetur, quousque hoc sibi innotescat, quod fides Ecclesie contrarium habet, quia non discedit, per se loquendo, à fide Ecclesie, nisi ille, qui scit hoc, à quo recedit, de fide Ecclesie esse.* Ad hoc etiam Valentia in presenti quæst. 11. puncto 1. post §. quarta difficultas, & Hurtado disp. 82. §. 3. 2. afferunt verba Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 6. (*debuerunt dicere c. 16.*) *Constituamus (inquit Augustinus) duos aliquos isto modo: vnum eorum, v. g. id sentire de Christo, quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiam Catholicam communionem, alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimamem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit: quod antequam fiat manifestum est, illum, qui foris baptizatus est, esse peiorem: inique in hoc sola*

Z z falsa

43

An ille, qui dissentit reuelationi priuata sibi sufficienter propositæ, appellandus sit hæreticus.

44

falsa opinio, in illo autem ipsa diuisio corrigenda est, sed in neutro illorum Sacramenti veritas repetenda. Sed fortasse Augustinus non loquitur in secundo exemplo de peccante contra fidem in illa falsa opinione, sed solum de errante materialiter, quod magis indicant verba illa, *existimantem illam esse Catholicam fidem.* In quo sensu videtur hic locus intellectus à Suarez adducto à nobis supra pro contraria sententia, qui eandem disp. 19. sect. 3. num. 10. affert Augustinū loco citato, vt probet requiri pertinaciam voluntatis ad peccatum hæresis, quare videtur supponere, quod Augustinus loquatur ibi de errante sine pertinacia, atque ad sine peccato graui. Nec obstat, quod Augustinus dicat, in eo aliquid esse corrigendum: loquitur enim de correctione non culpæ, sed opinionis, quæ cum falsa fuerit, & hæresis materialis omnino corrigenda est. Fateor, Suarez illo num. 10. non videri satis cautè loquutum, vt cohereret doctrinæ, quam tradit postea sect. 5. num. 11. vbi ad hæresim non requirit, quod aliquis opponat se doctrinæ totius Ecclesiæ: nam in illo priori loco repetit sæpè, non posse esse hæreticum eum, qui vult cum Ecclesiâ sentire, & illi se subiicere, vbi etiam ad hoc probandum affert Origenem. Tertullianum, & Hieronymum, qui apud ipsum videri possunt.

45 Accedit communis vsus conueniendi, & loquendi, qui Catholicos Hæreticos opponit, & è contra; vnde neque Catholicus est hæreticus, neque è contra. Qui autem non credit reuelationem priuatam, adhuc est Catholicus: nam fides Catholica idem est, quod fides vniuersalis, & communis, quam totam ille adhuc retinet, & firmis credit, ac profitetur. Si ergo Catholicus est, non potest simul esse hæreticus: nec enim vllum inuenies, qui ea duo vocabula *Catholicus, & hæreticus*, propriè, & in rigore, eidem homini simul attribuat, vel tribui posse fateatur.

46 Obiici potest primò ex Hieronymo in epist. ad Galat. cap. 3. in verba illa Pauli. *ira, dissentiones, hæreses*, vbi absque recessu ab Ecclesiâ videtur propriam hæresim, & hæreticum agnoscere his verbis. *Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesiâ non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* & de carnis operibus est que peiora sunt eligens. Tres solutiones affert, & approbat Hurtado *Disp. 82. §. 28. & seqq.* Prima est, Hieronymum loqui de hæretico in latiori significatione, quod videtur ex præcedentibus colligi, nam loquitur de dissensionibus domesticis, quæ inter domesticos oriuntur circa interpretationem alicuius loci scripturæ: quo casu, qui scripturam suo sensu interpretatur minus bene, potest in latiori significatione appellari hæreticus iuxta vocabuli etymologiam, quam ibi ex Græco Hieronymus affert, quatenus significat electionem prauam, in quo sensu est hæreticus, *que peiora sunt eligens.* Secunda interpretatio est, quod loquatur de eo, qui licet absolurè ab Ecclesiâ non recedat, conditionato tamen affectu recedit, adeo nimirum obstinato animo suæ doctrinæ ad hærens, vt licet Ecclesiâ eam reprobet paratus non sit Ecclesiæ obedire. Tertia est, loqui Hieronymum, non de hæretico primario, & completo, sed secundario, & incompleto, quatenus affirmat id, quod reuera hæresis est

Hæreticus in latiori significatione.

contra Ecclesiæ sensum, & hoc non confutulo Ecclesiæ mentem; sed temere se periculo exponens, quare licet strictè non sit hæreticus, nec id dixerit Hieronymus, dixit tamen posse appellari hæreticum, nimirum in latiori significatione: quare hæc ferè recidit in primam responsionem, quæ confirmari potest ex aliis Patrum loquutionibus, qui solent etiam homicidam appellare eum, qui pauperi non subuenit famelicis, & indigentibus. Possunt etiam quartam addere, nimirum non excludere recessum omnem ab Ecclesiâ, sed solum visibilem, & explicitum. Solebant enim hæretici Catholicorum Ecclesiis sponte vitare, & eorum communionem, protestantes factio ipsa, se ab Ecclesiâ discedere: aliquando etiam esse hanc malebant, quàm errorem reuocare. Sic ergo Hieronymi tempore hæretici ab Ecclesiâ materiali recedebant explicitè, & sensibilibus, vel sponte sua, vel impulsu à Prelatis Catholicis: & in hoc sensu verissimum est, quod potest esse, & appellari propriè hæreticus, qui scripturam contra Ecclesiæ sensum explicat, licet ab Ecclesiâ materiali non recedat, sed adhuc cœnibus Catholicorum interueniat, & inter Catholicos versetur, communionem cum iis habens, quia iam à Catholica Ecclesiâ fide, & spirituali coniunctione recessit. Aliunde autem videtur de Hieronymi mente constare, quod requirit in hæretico pertinaciam contra Ecclesiâ: nam in cap. 3. epist. ad Titum super illa verba, *hæreticum hominem*, &c. Sic ait: *Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesiâ recedentes, que recessio propria conscientia videtur esse damnatio.* Vbi de recessu non solum ab Ecclesiâ, & cœru materiali, sed etiam, & multò magis de recessu formali loqui videtur, cum eum referat ad iudicium ipsius conscientie recedentis.

Secundò obiici solet, quia contrarium eadem est ratio, si ergo assensus reuelationis priuatae sufficienter proposita elicitur ab habitu fidei infuso, sicut & assensus reuelationis publicæ, dissensus etiam erit hæresis sicut & dissensus fidei Catholice: nam in homine Christiano contrariè opponuntur fides, & hæresis: nec potest homo baptizatus retinens confessionem religionis Christianæ esse infidelis, quin sit hæreticus: quæ enim alia esset species illa infidelitatis, cum neque esset Paganismus, nec Iudaismus: Respondet ex dictis disputat. 18. sect. 3. in principio non opponi vera oppositione contraria, & stricta, licet calidum, & frigidum, fidem, & hæresim in homine Christiano proficiente etiam religionem Christianam, cum possit nec fidem infusam, nec hæresim habere, contrariæ autem qualitates caloris, & frigoris non possunt simul abesse à subiecto capaci. Opponuntur quidem hoc modo contrariè fides Catholica, & hæresis in eo, qui Christianam religionem profitetur, non autem fides, abstrahendo à Catholica. Ille ergo tunc nec esset Paganus, nec Iudeus, nec hæreticus, quæ tres species diuidunt solum infidelitatem oppositam fidei Catholice: sed haberet aliam infidelitatem specialem oppositam fidei diuinæ, de qua specie Theologi non curarunt, quia non pertinet ad iudicium humanum, nec ad regulas diuersas, quæ pro infidelium diuersitate assignari solent in iure, & ideo in rigore metaphylico non repugnat aliqua infidelitas specialis in homine

mine Christiano, quæ non sit Paganismus, Iudaismus, vel hæresis, sed alia irregularis, quæ non est iuridica, quia iura de ea non loquuntur, nec opus fuit vt de ea loquerentur.

49
Obiectio 3.
Tertio obiicitur, quia hoc peccati genus expellit habitum fidei infusæ, ergo reddit hominem infidelem, non ergo manebit Catholicus, sed hæreticus; nam omnis Catholicus est fidelis. Respondeo retorquendo argumentum, quia omnis, qui sentit in omnibus cum Ecclesia catholica, est catholicus; non enim potest esse singularis, qui in nullo dissentit à sensu communi, & vniuersali totius Ecclesiæ vniuersalis, seu Catholice: cum ergo homo ille in omnibus sentiat idem, quod Ecclesia Catholica, non potest non esse catholicus. Quare si aliunde est infidelis, quatenus dissentit reuelationi particulari, fatendum erit posse eo casu esse aliquem infidelem infidelitate contra fidem particularem, qui adhuc sit catholicus, quia non sentit, nec peccat contra Catholicam fidem, atque adeo non est infidelis infidelitate, vt ita dicam, chanonica, de qua leges Ecclesiasticæ loquuntur. Ad retinendum ergo habitum fidei infusæ non sufficit credere contra Catholicam, atque adeo denominari catholicum, sed requiritur non committere vllam infidelitatis peccatum, vt dixit Tridentinum *sess. 6. cap. 15.* vbi merito non est dictum sola hæresi fidem amitti, sed sola infidelitate, quæ latius patet, quàm hæresis, vt dictum est.

50
Obiectio 4.
Quarto obiicitur ex Coninck *vbi supra num. 118.* quia assensus circa reuelationem priuatam sufficienter propositam, & obligantem ad assensum firmum eiusdem rationis est omnino quoad omnia prædicata intrinseca, ac assensus circa articulum ab Ecclesia propositum, & ab eodem habitu infuso procedit: quod verum est tam de actu intellectus, quàm de voluntate pia, qua imperatur assensus: ergo eiusdem etiam rationis erit error, seu dissensus contra vtramque reuelationem, quia vicia, quæ eidem virtuti, & eadem ratione opponuntur, eiusdem omnino rationis esse debent. Si ergo error contra reuelationem communem in homine Christiano est hæresis, error etiam contra reuelationem priuatam hæresis erit. Respondeo in primis, non repetiri eadem prædicata intrinseca in vtroque dissensu; nam vnus respicit reuelationem priuatam, & immediatam, alter reuelationem mediatam, & communem, quæ duæ reuelationes specie differunt, atque adeo, & ipsi dissensus differre debent specie saltem physica imò & fortasse differre debent specie etiam morali in ratione peccati, quatenus error contra reuelationem ab Ecclesia propositam inuoluit etiam culpam non solum contra Deum, cui non creditur, sed etiam contra Ecclesiam proponentem illam reuelationem, cuius Ecclesiæ auctoritati detrahitur; quare licet hic Ecclesiæ contemptus ibi contentus non refundat differentiam specificam in ratione formali infidelitatis, & quatenus præcisè aduersatur virtuti fidei; potest tamen asserre speciem nouam peccati propter circumstantiam irreuerentiæ, & contemptus contra Ecclesiam, quæ differentia satis est, vt hoc solum peccatum, & non illud aliud appelletur nomine hæresis.

51
Addo deinde, non semper quodlibet peccatum hæresis debere differre specie morali à quodlibet alio peccato, quod non est hæresis, non solum
Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

lùm in ratione infidelitatis; sed neque etiam in vlla alia ratione morali, sed aliquando differre solum materialiter, aliquando etiam solum per denominationem extrinsecam. Exempla articuli *supra disp. 18. sect. 3.* agens de differentia specifica infidelitatum: nam dissensus, quem habet hæreticus circa existentiam Christi sub speciebus panis, & dissensus, quem habet Iudæus circa hoc ipsum, non differunt secundum se considerati, sed solum per denominationem extrinsecam, quatenus prior est in homine confitente aliquam religionem Christianam, posterior verò est in negante illam, quæ differentia est extrinseca ipsi dissensui circa Eucharistiam; & tamen prior dicitur hæresis, posterior non est hæresis, sed Iudaismus. Rursus in multorum sententia error ille contra Eucharistiam in homine non baptizato non est propriè hæresis, qui tamen idem esset hæresis in homine baptizato, de quo vidimus *infra sect. 4.* vbi iam vides, rotam illam differentiam non posse esse nisi extrinsecam ex baptismo antea suscepto, vel non suscepto. Multò ergo magis ex eo, quòd vnus error sit contra reuelationem communem, & alter contra solam priuatam, licet vterque sit contra eandem fidei virtutem, fieri poterit quòd vnus appelletur hæresis, alter non sit hæresis, sed infidelitas priuata contra priuatam etiam obligationem.

52
Obiectio 5.
Quinto ex eodem auctore *n. 119.* obiicitur, quia sicut fidei bonitas non consistit in eo, quòd credens subiiciat se auctoritati Ecclesiæ, eique obediat (hoc enim non facit propriè per actum fidei, sed ad summum per iudicium præuivum, quo propter Ecclesiæ auctoritatem iudicat aliquid esse credendum; nam actus fidei, nullo modo Ecclesiæ auctoritate, sed sola diuina nititur) sed quòd subiiciat se sponte, siue voluntariè, auctoritati primæ veritatis, ei firmissimè adherendo: sic etiam malitia erroris contra fidem, quatenus habet rationem infidelitatis non consistit in eo, quòd quis sit contumax contra Ecclesiam, eiusve auctoritatem contemnat (quia sic peccat propriè, non contra fidem, sed contra obedientiam, ac reuerentiam Ecclesiæ debitam) sed quòd voluntariè resistat auctoritati primæ veritatis, atque implicite faciat eam mendacem. Atqui vterque errans eodem modo, ac æquè voluntariè resistit primæ veritati, ac eam facit mendacem, ergo vterque error habet eandem malitiam contra fidem, siue infidelitatis.

53
Respondeo ex dictis, etiam si vterque error habeat malitiam eiusdem speciei contra fidem, & in genere infidelitatis, posse tamen propter circumstantiam diuersam, siue specificam contra aliam virtutem, siue non specificam, alterum, solum errorem, & non alterum appellari nomine hæresis, vt vidimus; præsertim cum vnus respiciat intrinsece differentiam illam reuelationis mediatæ, & communis, quam alter non respicit, sed differentiam aliam reuelationis immediatæ, & priuatæ. Falsum præterea est, id quòd Auctor ille addit, Ecclesiam solum attingi per iudicium fidei præuivum, & non per ipsum assensum fidei: nam vidimus supra agentes de obiecto formali fidei, licet assensus fidei non nitatur auctoritate Ecclesiæ, quatenus est auctoritas Ecclesiæ; niti tamen auctoritate, & reuelatione diuina per Ecclesiam proposita, quare attingit intrinsece Ecclesiam, saltem vt organum per quòd Deus
Z z 2 media

mediatè nobis loquitur, & proponit reuelationem suam præteritam; quæ propositio Ecclesiæ integrat, & componit partialiter loquutionem Dei, mediatam, quæ est motiuum formale fidei, vt ibi latius explicuimus. Alia verò eiusdem auctoris argumenta iam in superioribus soluta sunt; & hæc dicta sint circa primam difficultatem, an ad hæc solum ex parte obiecti requiratur oppositio cum reuelatione communi, & publica.

54 An sufficiat ad hæresim propriam si quis pertinaciter negat aliquid ad fidem Catholicam pertinentem, non tamen ei proposita auctoritate Ecclesiæ, id sentientis. De hoc agit Hurtado *disp. 82. §. 44* vbi proponit exemplum si aliquis, v.g. contendat, Tobiam non habuisse canem in sensu litterali, sed in allegorico; alius proposita Scriptura, eum ab illo errore remouere conetur, idque miraculis in testimonium veritatis, & mortui etiam suscitatione confirmet, ita vt euentem credentem obligationem inducat; non tamen adducat Ecclesiæ auctoritatem, ille verò alius adhuc obstinatè resistat; quæritur an sit propriè hæreticus. Negat ipse Hurtado, quia eadem est ratio, ac si solum resisteret reuelationi priuata: sufficienter proposita: & quia adhuc potest ille paratus esse ad correctionem Ecclesiæ suscipiendam, cum qua præparatione non potest aliquis esse hæreticus.

55 Ego puto, casum illum ab Hurtado adductum magis esse metaphisicum, quàm moralem: nam eo ipso, quòd de dogmate communi, & publico cogatur, ille, qui propugnat pro eius veritate, implicite dicit, ita ab Ecclesia credi, atque ideo non solum dicit esse verum, sed contineri in reuelatione communi toti Ecclesiæ proposita; non ergo præscindit ab auctoritate Ecclesiæ. Ille etiam qui audit, & negat; non potest non cogitare de Ecclesiæ auctoritate, videt enim agi, non de re priuata, sed de dogmate communi, & publico, & de sensu Scripturæ sacræ omnibus ad fidem proposito: quare miracula, quæ videt non solum probant veritatem dogmatis, sed etiam quòd ille sit Ecclesiæ sensus, quæ in legitimo Scripturæ sensu amplectendo decipi non potest. Vnde meritò quisquis Catholicæ fidei dogma sufficienter propositum pertinaciter negat, eo ipso indifferenter pro hæretico habetur, quia non potest moraliter contingere, vt sine Ecclesiæ contemptu id faciat. Si tamen metaphisicè loquendo ita contingeret, quod per ignorantiam, vel inadvertentiam aliquis ita se haberet, ac si de reuelatione priuata ageretur, nec aduertent agi non de rebus priuatis, sed de spectantibus ad fidem toti Ecclesiæ communem, idem dicendum esset, quod de assentiente reuelationi priuata, peccaturum illum quidem grauitè contra fidem, non tamen esse in rigore hæreticum, cum licet per accidens, ratio eadem esset. Sed certè in foro externo meritò ab omnibus iudicaretur, & damnaretur vt hæreticus; quia præcisio illa in eiusmodi materiis, vt dixi, non est moraliter possibilis.

36 Tertia difficultas principalis esse potest, an si propositio aliqua verè sit reuelata à Deo in Scriptura, v.g. sed non ita manifestè, vt Ecclesia obliget ad eam credendam firmiter, tanquam à Deo reuelatam, dissensus illius sit hæresis, & dissentiens sit hæreticus. Lorca *disp. 39. num. 4.*

An si propositio aliqua verè sit reuelata à Deo in Scriptura, sed non ita ma-

dixit, illum esse quidem errorem contra fidem, non tamen hæresim, quia ad hanc requiritur pertinacia contra Ecclesiam proponentem aliquid vt reuelatum à Deo, quæ pertinacia non reperitur, quando non est certum, & manifestum, quod Ecclesia id doceat: potest enim rone aliquis dissentiens paratus esse assentiri, si Ecclesia proponat. Hurtado verò *disp. 80. §. 19.* significat, quid sit de fide, requiritur non solum reuelatio, sed etiam applicatio reuelationis, quæ applicatio non inuenitur sufficiens, quando reuelatio diuina in Scriptura contenta ab Ecclesia non proponitur.

Pater Coninch *dicit disp. 19. dub. 7. num. 1. 11.* & sequentibus in hanc sententiam inuehitur, & dicit, propositionem à Deo Ecclesiæ reuelatam, licet obcurus, ita vt pauci eius sensum percipiant, ideoque contrarium sentientes in Ecclesia tolerentur, esse simpliciter de fide; nec Ecclesiam postea, data occasione, eam definitè efficiet, vt incipiat esse de fide, sed solum declarat eam esse de fide; quare antea etiam erat de fide, licet fides non obligaret ad eam credendam, & ideo per accidens ratione ignorantie non esset hæreticus, qui eam negaret. Sicut autem propositio illa erat verè de fide, ita eius contradictoria erat verè hæresis, non tamen manifesta, quia non omnibus manifestum erat, quod ab Ecclesia proponeretur, pro qua sententia asserit alios antiquiores *n. 125.*

Ego in primis puto, in casu proposito, si constat sufficienter de reuelatione Dei in Scriptura contenta, constare etiam sufficienter de propositione Ecclesiæ, atque adeo non posse dissensum excusari ab hæresi ex defectu solum propositionis, seu applicationis ab Ecclesia faciendæ, quare si dissensus est error contra fidem, quia constat sufficienter de reuelatione Dei, erit etiam contra propositionem Ecclesiæ, quia eodem modo constat de propositione Ecclesiæ. Nam Ecclesia clarè, & manifestè proponit credendam Scripturam, & omnia, & singula in ea contenta: si ergo manifestè constat, aliquid in Scriptura contineri, quæ manifestè constat consistere debet id ab Ecclesia nobis credendum proponi.

Dico tamen secundò, sicut homo loquens non æquè percipitur ab omnibus, sed melius ab iis, qui vel meliori pollent auditu, vel melius penetrant vocum significationem; ita Deus in Scriptura loquens non necesse est, quod æquè ab omnibus percipiatur, sed contingere potest, vt aliquando ab omnibus, aliquando à maiore parte, aliquando à dimidia, aliquando à paucis percipiatur, qui magis penetrant sensum, & significationem Scripturæ. Quare sicut ij, qui Regem loquentem audiunt, & percipiunt, non exultantur à fide ei habenda, ex eo quòd alij eundem Regem non intellexerint: ita ij, quibus de certo Scripturæ sensu constat, ita vt de eo prudenter dubitare, aut formidare non possint, non exultantur, si id negent, vel dubitent, ex eo quòd alij ex defectu capacitatis, vel scientiæ, sensum illum Scripturæ non ita percipiunt, vt ad id fide etiam diuina credendum obligentur. Potest ergo contingere, quod aliquibus sit de fide aliquid in Scriptura contentum, quibus manifestum est, id in Scriptura contineri, quod tamen non omnibus sit de fide, quia non ita clarè Scriptura loquitur, vt id possit ab omnibus animaduerti.

Vnde

60 Vnde dico tertio, ij quibus Scripturæ sensus manifestus est, ita vt non possint prudenter de eo dubitare, vel formidare, esto alij Catholici dubitent, quibus non ita manifestus est, non solum peccant grauitur contra fidem, si dissentiant, sed etiam committunt peccatum hæresis, & sunt verè, & propriè hæretici, si communiter fideles eum scripturæ sensum manifestè percipiunt, & indubitanter credunt, licet aliqui rudiores eum non percipiant. Si autem communiter in Ecclesia dubitetur, vel saltem non habeatur pro certo, & indubitato, licet aliqui eum manifestè percipiant, ita vt prudenter formidare non possint, & ideo dissentiendo peccent grauitur contra fidem; non tamen credo eos esse propriè, & strictè hæreticos. Ratio autem est, quia hæresis, vt sæpè diximus, est secta seu diuisio, & hæreticus est sectarius, quia fecit, & diuidit vnitatem Ecclesiæ, seque à reliquo Ecclesiæ corpore, & sensu diuidit, sectando, & amplectendo proprium sensum, & opinionem contra id, quod Ecclesia sentit. Si ergo fideles, & Catholici (ex quibus intrinsecè conflatur, & constituitur Ecclesia) non sentiunt communiter, eum esse indubitatum sensum illius scripturæ, licet aliqui pauci doctiores id sentiant, sed potius de eo dubitent, & formident, non potest esse hæreticus propriè, qui de eo dubitat, aut id negat, cum in hoc ipso Ecclesiam non diuidat, nec sentiat contra communem Ecclesiæ sensum, licet peccet grauitur contra fidem negando id, quod videt non posse prudenter negari, vel dubitari quòd sit à Deo reuelatum in eo scripturæ loco de quo agitur.

61 Dices, non solum peccare contra fidem, sed contra Ecclesiam, quæ manifestè proponit esse reuelatam à Deo, quæcunque in scriptura continentur: ipse autem negat aliquid, de quo dubitare prudenter non potest, quod in scriptura continetur: ergo negat reuelationem Dei sufficienter ei per Ecclesiam propositam, atque adeo erit hæreticus. Respondeo, hæreticus propriè non esse, qui negat reuelationem Dei illi sufficienter propositam, nisi ita sit proposita, vt ex vi illius propositionis, ab omnibus vel saltem communiter percipiatur, vel percipi possit, & indubitanter teneatur, quod sit sufficienter proposita, quia hæreticus esse non potest, vt diximus, nisi qui à communi Ecclesiæ sensu discedit. Non ergo desinit eo casu esse hæreticus ex defectu reuelationis diuinæ, vel propositionis Ecclesiæ, (nam vtraque præcedit, cum Deus iam id in scriptura reuelauerit, & Ecclesia eam scripturam proposuerit, vt reuelationem diuinam) sed ex eo quod non discedit à communi Ecclesiæ sensu, in qua propter scripturæ obscuritatem fideles communiter non percipiunt manifestè sensum diuinæ reuelationis.

62 Explicare hoc possumus exemplo humano. Ponamus, esse Rempublicam aliquam, in qua ex affectu erga Romanos Pontifices sit lex statuens peculiare pœnas contra eos, qui à Republicæ sensu, & vltu discedunt, non obediendo præceptis Pontificiis à Republica acceptatis, & propositis. Mittat Pontifex ad eam rempublicam bullam aliquam cum variis præceptis, in qua tamen clausula aliqua propter characteres peregrinos, vel compendiosè formatos, non bene communiter percipiatur: ideòque quamuis Republicæ iussu bulla publicè proposita sit, vt ab omnibus

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

obseruetur, clausula tamen illa non obseruetur quia communiter illius sensus non percipitur: qui tamè percipitur optimè ab aliquo ciue legendi perito, qui characteres & sensum bene noùit. Certè hic, si contentum etiam in ea clausula non obseruet, peccat contra obedientiam Pontificiis præceptis debitam; non tamen incurrit pœnas peculiare contra eiusmodi inobedientes in ea Republica statutas, quia pœnæ non sunt contra inobedientes omnes præceptis Pontificiis à Republica acceptatis, & propositis, sed contra discedentes ab vltu, & sensu Reip. in ea inobseruantia. Et quamuis bulla illa acceptata sit, & proposita à Republica omnibus, vt obseruetur: sed tamen communis sensus, & vltus Republicæ non adest circa eam clausulam, quam Republica communiter in suo vero sensu nondum intellexit ad concipiendam obligationem. Si ergo in casu nostro Ecclesia proponit totam scripturam sacram, vt indubitanter à fidelibus credatur, tanquam vera Dei reuelatio: addit insuper pœnas speciales, non contra omnes non credentes, sed contra hæreticos, hoc est, contra eos, qui contra communem Ecclesiæ sensum aliter credunt, ac à Deo reuelatum sit. Quamuis ergo aliqui, vel aliquis subtilis, & melior scripturam legens penetret, & percipiat sufficienter sensum in aliqua scripturæ clausula contentum, quem communiter alij non ita poterant percipere, atque adeo aliter sentiens peccet contra Dei fidem: non tamen incurrit pœnas specialiter ab Ecclesia statutas, quæ non sunt contra omnes non credentes, sed contra aliter credentes contra communem Ecclesiæ sensum, quæ circumstantia tunc deest, eo quod propter obscuritatem scripturæ non potuerit communiter illius clausulæ sensus percipi, & intelligi.

63 Confirmatur denique à posteriori, quia in foro externo non puniuntur ille pœnis corporalibus hæreticorum, quoties ipse ostendit Doctores Catholicos communiter non tradere eum sensum tanquam certum, sed aliquos eum negare, alios fateri non omnino certum nec pertinere ad fidem Catholicam. Imò licet aliqui dicant id esse de fide, si tamen ipse pro se afferat alios graues doctores id negantes, non damnabitur tanquam hæreticus, vt obseruauit Hurtado *diff. 82. §. 43.* addens, hæresim propriam talis esse naturam, vt ab omnibus viris doctis, & Catholicis censetur hæresis post diligentem criminis cognitionem. Et quidem hoc idem regulariter sufficit, vt excusetur etiam à culpa interna infidelitatis, licet apud se dubitet de veritate illius obiecti, cum possit regulariter loquendo, saltem per principia extrinseca iudicare probabile, quod illud non sit de fide, cum videat id in opinione positum apud Doctores graues, & Catholicos. Casus tamen dubij nostri procedit, quando ipse propter ingenij, & doctrinæ excessum penetrat, & percipit ita manifestè sensum in scriptura latentem, vt non obstante aliorum opinione, non possit etiam per principia extrinseca prudenter id negare, vel dubitare. Quo solum casu diximus, ipsum posse grauitur, peccare contra fidem, absque eo quòd sit propriè hæreticus, eo quod in eo dissensu, non discedat à communi fidelium, & Catholicorum sensu.

64 Dices, ex hoc sequi omnes hæreses esse hæreses manifestas: si enim hæresis requirit, quòd sit contra totius Ecclesiæ sensum, semper erit manifesta.

nifesta. Ad quid ergo aliquando additur de aliqua esse hæresim manifestam; pro ut additum fuit in Concilio Constantiensi *sess. 8.* ubi de erroribus Viclephi dicitur, aliquos ex iis fuisse, & esse *notoriè hæreticos*, per quod significatur posse esse aliquas propositiones hæreticas, quæ non sint notoriè hæreses. Nec satisfacere videtur quod dicit Lorca *vbi supra dicto num. 4.* ideo dictum esse *notoriè hæreticos*, quia hæresis non potest esse, nisi sit notoria, & manifesta, atque ideo quando alios dixit esse erroneos, non addidit *notoriè*; quia error potest esse notoriè & non notoriè. Hoc inquam, non satisfacit, quia si de ratione intrinseca omnis hæresis, est quoddam sit notoria, frustra adderetur illa particula, sed sufficeret dicere esse hæreses: & quidem in communi modo loquendi, quando dicimus aliquid esse notoriè falsum, plus volumus dicere, quàm falsum, & sic de aliis.

65
Hæresis manifesta seu notoria, quid addat supra hæresim non manifestam.

Respondeo ergo, hæresim manifestam, seu notoriam aliquid addere supra hæresim non manifestam. Primò quia potest aliquando esse hæresis occulta, seu talibus verbis significata, ut hæreticus habeat anam tergiversandi, & negandi, se dixisse hæresim, sed potius loquutum se in sensu Catholico, quæ solent dici propositiones hæresim sapientes, hoc est de quibus est suspicio quod dicantur in sensu hæretico, qui sensus, & hæresis ipsa obiectiua est hæresis manifesta, sed voces, quibus significatur, sunt ambiguae, & non est manifestum, quòd profertantur in sensu hæretico. Illi ergo articuli Viclephi erant hæretici manifestè, quia voces ipsæ nullum relinquebant locum ambiguitatis de sensu hæretico per eam significato. Rursus secundò ipsa etiam hæresis obiectiua dicitur aliquando hæresis notoria, & manifesta, quia non sunt opiniones doctorum circa illam, an sit hæresis, sicut contingit esse circa alias, quas aliqui doctores dicunt esse hæreses, alij negant. Diximus enim hæreticum esse, qui negat aliquid quod iuxta communem Ecclesie sensum pertinet ad fidem Catholicam. Possunt ergo esse Doctorum opiniones circa hoc ipsum, an talis propositio æstimetur communiter à Catholicis, & Patribus esse de fide. Aliqui dicunt eam communiter æstimari de fide, alij id negant. Quia communiter æstimari talem est pro tali haberi à maiori & meliori Patrum, & Doctorum parte; & potest esse sub opinione, an maior, & melior pars id dicat, an minor, & ignobilior, & ideo potest sub opinione manere, an ea sit vel non sit hæresis, atque adeo non erit hæresis manifesta, & notoria, sed dubia, & sub opinione probabili asserete probabiliter eam esse contra sensum maioris, & melioris partis Catholicorum contrarium habentium pro dogmate fidei. Et quidem quoties saltem per principia extrinseca probabile manet, quod aliqua non sit hæresis, non credo in foro externo procedi ad rigorosas hæreticorum pœnas infligendas. In foro autem interno ad iudicandum, an ille incurritur censuras, & alias hæreticorum pœnas, videndum erit, an ipse per principia saltem extrinseca iudicauerit probabiliter eam non esse hæresim, nec repugnare communi Ecclesie, & Catholicorum fidei, & sensui: si enim hoc iudicium habuit, non est æstimandus hæreticus etiam in foro interno, quamuis iudicauerit, ab aliis multis pro hæresi haberi. Si autem tale iudicium probabile habere non potuit, sed potius

quia melius communem Ecclesie sensum nouit, manifestè vidit, eam propositionem esse contra communem eius sensum, non obstant, quòd aliqui etiam docti, qui eum sensum non ita perscrutari nouerant, contrarium docuerint, tunc censorebitur incurrisse eas censuras, & pœnas saltem in foro conscientie. Neque enim obstat paucorum sensus contrarius, cum quo stare adhuc potest, quod reuera aliquid sit contra communem fidelium sensum, & fidem, quod sufficit ad constituendum hæreticum, si ipse eum communem sensum manifestè nouerit.

Vnde infero primò idem, quod dictum est de re in Scriptura contenta, dicendum esse cum proportionem de re aliqua habita in Ecclesia per sufficientem traditionem. Nam sicut Ecclesia proponit nobis vniuersam Scripturam, & omnia in ea contenta, tanquam obiecta fidei, ita proponit nobis traditiones Ecclesiasticas tanquam sufficientes ad dogmata fidei credenda, ut constat ex Concilio Tridentino *sess. 4.* initio, & colligitur ex Paulo 1. ad Cor. 11. dicens, *Ego enim accipio à Domino, quod & tradidi vobis*, & 2. ad Thel. sal. 2. *tenete traditiones, quas didicistis, sine sermone, sive per Epistolam nostram.* Vnde Basiliius lib. de Spiritu sancto c. 7. loquens de Scriptura, & traditione, *utraque*, inquit, *parum vobis habent ad pietatem*: sicut autem Scriptura propter obsecritatem potest non æque ab omnibus percipi, sed ab aliquibus, vel à pluribus, & non ab omnibus; ita idem contingere potest in dogmate per traditionem habito, quare eodem modo iudicandum erit ad censendum, vel non censendum hæreticum eum, qui contra dogma illud in traditione fundatum sentit, sicut de sententia contra sensum in Scriptura contentum, sed non omnibus manifestum, cui casui doctrina supra posita applicanda erit cum eisdem distinctionibus, & explicationibus.

Infero secundò quid dicendum sit de aliquibus doctrinis, quæ à Conciliis aliquando, vel à summis Pontificibus declaratae sunt hæreses, cum tamen antea à multis Catholicis reuerentur salua fide: illæ enim doctrinæ repugnabant veritatibus contentæ in Scriptura, vel traditionibus etiam ante definitionem Pontificum, vel Conciliorum. Quia tamen Scriptura, vel traditio non ita clara erat, ut ab omnibus communiter perciperetur, ideo contraria doctrina non æstimabatur hæretica, quia non repugnabat communi fidelium fidei. Vnde licet aliqui tunc melius, & accuratius rem inuestigantes, verum sensum ita manifestè inuenirent, ut non possent sine graui contra fidem peccato contrarium sentire; non tamen fuissent hæretici proprie, & in rigore contrarium dicentes, quia protunc non repugnarent adhuc communi Ecclesie, & fidelium fidei. Qualis fuit Cypriani error circa baptismum ab hæreticis collatum, quem dixit esse inualidum, & alij similes errores materiales, qui apud nonnullos sanctos reperirentur. Postea tamen Pontifices, & Patres in legitimis conciliis congregati attentius, & diligentius scrutantes Scripturas, & traditiones præmissis studio, collationibus etiam, & disputationibus, & (quod plus est) accedente diuino lumine, quod summo Pontifici, & legitimo Concilio non deest, nec errent in sinistro Scripturæ, & traditionum sensu, pro vero, & legitimo proponendo, melius & clarius Scripturam legunt, & intelligunt, eiusque

que, & traditionem etiam sensum inueniunt, & fidelibus proponunt, quo facto doctrina contraria incipit esse hæretica, quæ antea talis non erat, eo quod Scripturæ, vel traditionis sensus non fuisset ita sufficienter, & communiter à fidelibus perceptus.

68

Propositio opposita assertioni Theologica an sit hæretica, & sufficiens accedente pertinacia ad constituendum hominem propriè hæreticum.

Quarta difficultas principalis esse solet de propositione opposita assertioni Theologica, an sit hæresis, & sufficiens accedente pertinacia ad constituendum hominem propriè hæreticum. Quæstio hæc pendet omnino ex illa alia quæstione; an conclusio, quæ euidenter infertur ex principiis reuelatis pertinet ad fidem, ita ut possit fide diuina credi: de qua quæstione fati latè egi supra disp. 1. sect. 13. §. 1. & sequentibus, ubi adductis variis auctorum sententiis, dixi, conclusionem deductam ex vna præmissa reuelata, & altera euidenti non reuelata, non esse de fide, nec posse terminare assensum fidei. Item quando conclusio infertur ex duabus præmissis reuelatis, obiectum conclusionis esse de fide, & posse credi per actum fidei, licet assensus conclusionis ipsius, pro ut infertur ex præmissis reuelatis, & nititur illis non sit actus fidei, sed conclusio Theologica. Quare consequenter ad ea, quæ ibi dicta, & latius explicata, ac probata sunt, dicendum nunc est, eum, qui dissentit conclusioni Theologica, quæ euidenter infertur ex vna reuelata, & altera euidenti non reuelata, tunc esse hæreticum quando negat conclusionem, eo quod neget præmissam reuelatam, ex qua infertur, quia iam dissentit immediatè propositioni reuelatæ. Si autem conclusionem neget, quia negat præmissam alteram euidentem, vel illationem euidentem, qua conclusio ex vtraque præmissa infertur, non erit hæreticus, cum nec præmissa illa euidentis, nec illatio etiam euidentis sit reuelata. An verò in foro externo puniendus sit hic, ut hæreticus, dicemus postea. Si autem conclusio deducatur euidenter ex duplici præmissa reuelata, tunc qui obiectum illius conclusionis negat, erit hæreticus, nisi excusetur ignorantia. Nam licet conclusio ipsa quatenus conclusio non sit actus fidei, obiectum tamen materiale illius est de fide ut pars in toto, vel ut particularis in propositione vniuersali: nec aliter inferri potest ex propositionibus duabus de fide, nisi quia obiectum ipsum conclusionis reuelatum fuit, non solum virtualiter, & quasi in causa, sed formaliter & in seipso, quando reuelata sunt obiecta præmissarum, licet fortasse non ita clarè, & explicitè, sed magis confusè, pro ut citato loco latius probatum, & explicatum fuit.

69

Quæritur potest, si Ecclesia definiat in Concilio legitimo propositionem aliquam deductam euidenter ex vna præmissa reuelata, & altera euidenti non reuelata, an qui eam postea negat, sit propriè hæreticus. De hoc etiam dixi loco citato; propositionem illam post Ecclesiæ definitionem esse de fide, quare consequenter dicendum est, negantem postea illam propositionem esse hæreticam propriè. Idque satis testatur vsus Ecclesiæ apponentis vocem *Anathema* negantibus propositiones quascunque, quas in synodus definit, quæ vox non solet nisi contra hæreticos apponi. Et in praxi omnes ij, qui definitionibus expressis Conciliorum opponuntur, puniuntur ut hæretici. Quomodo autem id, quod antea non erat formaliter, & expressè de fide, possit postea esse formaliter de fide dixi loco citato.

Restat solum dubium, an qui pertinaciter negat propositionem, seu conclusionem Theologicam, quæ infertur ex vna de fide, & altera euidenti non reuelata, habendus sit in foro externo pro hæretico, & puniendus pœnis hæreticorum.

70

Et an qui suadet præmissam propositionem pertinaciter negat, habendus sit in foro externo pro hæretico, & puniendus pœnis hæreticorum.

De quo agit breuiter Diana part. 4. tract. 8. de officio, & potestate Inquisitorum, resolut. 79. ubi assertit Valentiam, Canum, & Bonacinam, affirmantes illum esse hæreticum: & pro contraria sententia alios dicentes, non esse quidem hæreticum sed præsumi, si in ea opinione persistat. Quare quoad proximum videntur omnes conuenire, quod puniendus sit ut hæreticus, si quidem præsumitur talis, non enim præsumitur negare præmissam euidentem, sed reuelatam, & ideo negare conclusionem Theologicam, ut fateretur Suarez disp. 19. sect. 2. num. 15. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 7. num. 33. Hurtado disputat. 12. §. 27. qui tamen dicit, eam præsumptionem locum habere solum in homine mediocriter docto, non in homine ignaro, & rudi. Vnde disputat. 80. §. 13. dicit, si constaret, quod negat conclusionem ex eo quod vim illationis non penetrat, non esse puniendum, sed pro asino relinquendum, & disputat. 81. §. 14. dicit si homo ignarus sit, non esse censendum hæreticum, sed vituendum: quod si instructus non capiat argumentorum vim, cogendum esse, ut acquiescat doctoribus proponentibus, alioquin in illum esse animaduertendum. Ego puto, id totum arbitrio & prudentiæ iudicium relinquendum esse, qui attentis circumstantiis personæ, loci, occasionis, & materiæ, ac aliis omnibus, potest magis vel minus præsumere animum hæreticum. Nam materia ipsa etiam aliquando potest esse ita abstrusa, & difficilis, ut non solum rudes, sed litterari etiam possint circa propositiones aliis euidentes hallucinari, & errare. Vnde licet punienda esset proteruitas nolentis acquiescere viris doctis circa principia Philosophicæ; seriò tamen cogitandum esset, an esset puniendus ut hæreticus, vel solum ut defendens pertinaciter propositionem erroneam, & ante omnia indaganda videntur à reo fundamenta, quibus ad errorem sustinendum mouetur; ea enim patefacient, an verè circa præmissam reuelatam, an circa alteram euidentem erret. Memini aliquando audisse me de quodam aliquo simplici, & pio, qui obstinatè contendebat, omnes Trinitatis personas carnem ex Virgine assumptisse, & cum diu Iudices frustra ab eo respicientiam peterent, parum aberat, ut tanquã hæreticus obstinatus damnaretur; quæsiuit ab eo aliquis ei notus amicè, quale haberet fundamentum, quo ita fortiter sententiæ illi adhæreret. Respondit, se id tamdiu ita recitasse frequenter in Ecclesiastico hymno officij B. Mariæ, dum dicitur: *qui natus est de Virgine, cum Patre, & sancto Spiritu*. Ecce hic ex sola crassissima Grammaticæ ignorantia errabat, cuius defectus si ab initio inuentus fuisset, causa absoluta erat. Vidi ego & alium, qui parum ab obstinatione aberat, Catholicum aliquoquin & pium, & ob alium grammaticæ errorem in loci cuiusdam intelligentia commissum omnino volebat, corpus Christi Domini non fuisse totum ex Virgine assumptum, sed ab initio mundi formatum, & ad vterum Virginis adductum, ut ibi incrementum acciperet: ubi verò de Grammaticæ errore edoctus à me fuit, omnino quieuit, & doctrinæ etiam errorem reuocauit, & quidquid in eius confirmationem scripserat;

sponte combuffit. Oporteret itaque erroris causas, & occasiones ab eiusmodi personis diligenter exquirere, vt iudicari possit, an ex malitia, an ex ignorantia errent, & possit facilius morbo medicina parari.

SECTIO III.

De aliis propositionibus infra hæresim, & de variis singularum censuris.

71 **N**on omnis propositio damnabilis, & quæ censura Theologica affigi potest, est hæretica; ideo postquam de hæresi formali, & obiectiua dictum est, & de iis, quæ ex parte obiecti ad hæresim requiruntur, antequam ulterius progrediamur ad alias, conditiones, quæ ex parte subiecti requiruntur in hæretico, dicendum breuiter erit de aliis propositionibus damnabilibus, quæ non sunt hæreses, & de iis, quæ parte obiecti requiruntur ad eiusmodi censuras imponendas. De quibus agunt Tuttrecremata, Albertinus, Simancas, Alfonso Castro, Cano, Corduba, Penna, & alij apud Suarez in *presenti disp. 19. sect. 2. num. 1.* & alij Recentiores in præsentī communiter.

72 **V**ariæ species censurarum, seu propositionum damnabilium enunciari solent, quæ desumptæ sunt ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi articulis VViclephi apponuntur respectiue hæ censuræ, *notorie heretici, & à sanctis Patribus reprobati: alij non Catholici, sed erronei; alij scandalosi, & blasphemii; quidam piarum aurium offensivi: nonnulli reuerarij, & seditiosi: Quas eadem censuras apponit idem Concilium sess. 15. propositionibus Ioannis Hus, excepto illo verbo: blasphemos: desumuntur etiam ex Bulla Pij V. & Gregor. XIII. edita contra aliquas propositiones Michaëlis Baij, quas respectiue dicunt esse hereticas, erroneas, suspectas, reuerarias scandalosas, immitentes offensionem in aures pijs. His alij addunt propositionem, *proximam hæresi, possumus & nos addere errori proximam, & suspectam de errore.* Imò si de propositione non solum infra hæresim, sed in rigore damnabili sermo sit, addendæ erunt propositiones, Iudaica, Pagana, Athea. Nam propositio dicens, Christum nondum venisse, sed venturum non est hæretica, cum religionem Christianam non retineat, prout hæretici omnes retinent, vt supra vidimus, sed erit propositio iudaica. Quæ verò dicit, esse plures Deos, non erit iudaica, cum non retineat verum testamentum, sed Pagana inducens idololatriam; ad quod genus reduci possunt propositiones propriæ Mahometismi, quæ nec Christianam, nec Iudaicam religionem retinent, sicut & sectam illam diximus, ad Paganismum reduci. Denique propositio negans omnem Deum erit Athea: de his tamen modò sermo non est; sicut neque etiam de propria hæresi, de qua dictum est supra, sed solum de aliis infra hæresim, de quibus, & de singularum differentia in particulari dicendum erit, vt in qualitate; & censura propositionum stabilis aliqua, & certa regula obseruetur.*

De Propositione erronea.

73 **E**rroris vox latissime sumpta attribui potest cui-

libet propositioni falsæ in qualibet materia: nam qui falsum pro vero credit, errat à vero, & dicitur. Communiter tamen ea vox solet restringi ad falsum, quod opponitur non solum vero, sed euidenti, vel certo, quod apud omnes communiter certò scitur. Nec appellatur error in Philosophia, qualibet opinio falsa, sed quæ opponitur dogmati certo, & pro tali apud Philosophos recepto. Quare in Theologia non dicitur error, nisi qui certæ alicui veritati aduersatur, quæ apud Catholicos, & Theologos pro certa habetur. Ceterum adhuc hæc acceptio est nimis lata, & generica, cum in eo sensu hæresis etiam sit error; & quidem aliquando hæreses *erroris* nomine appellantur in cap. *excommunicationis* 2. cap. vltimo de hæreticis, & cap. *accusatus*, & *ille quoque* eodem titulo in 6. Sed nunc magis strictè accipitur, prout est censura specialis infra hæresim: nam quidquid alij dixerint, quos tacitè refert Suarez vbi supra num. 12. in prædicto Concilio, & Bulla Pontificum, condistinguitur propositio erronea ab hæretica, & ita Theologi communiter mitiorem censuram existimant, & quæ non attingat hæresim.

Quæ autem differentia sit inter hæresim, & errorem omnes eodem modo explicant. Aliqui primò dicunt, errorem esse hæresim sine pertinacia prolatam, accedente autem pertinacia erit hæresis. Ita Antonin. 2. part. tit. 12. cap. 4. sed id communiter displicet, & merito, quia pertinacia habet se ex parte subiecti, non ex parte obiecti: hæc autem censura non tendit ad iudicandum crimen in concreto, sed propositiones secundum se: atque adeo solum ratione sui obiecti. Ande Pius V. & Gregorius XIII. non distinxerunt in sua Bulla duos illos gradus censuræ ex pertinacia, vel eius defectu, nullam enim pertinaciam agnouerunt in Baio, qui semper Catholicus fuit, & Ecclesiæ obediens, sed ex parte ipsius doctrinæ differentiam inueniunt inter propositionem hæreticam, & erroneam. Sicut contra Concilium Constantiense circa omnes illos articulos æqualem pertinaciam inuenit in illis hæreticis, & tamen in illis vidit differentiam inter articulos hæreticos, & erroneos. De facto etiam Inquisitores perentes à suis Qualificatoribus censuras propositionum, nihil dicunt de pertinacia, aut culpa Auctorum, sed iudicium exigunt solum de propositione secundum se an sit hæretica, vel erronea, vel temeraria &c.

Alij ergo secundò dicunt propositionem hæreticam esse, quæ opponitur veritati reuelate, non demonstrabili, v. g. *Deum non est Trinus: erroneam verò, quæ non opponitur veritati Catholicæ demonstrabili, v. g. Deum non est, vel Deum non est vnus, ita Castro apud Huradum disp. 81. §. 9.* Hoc tamen sustineri non potest, quia quolibet obiectum reuelatum, etiam si aliunde ratione naturali demonstrari possit, non poterit sine hæresi negari, v. g. immortalitas anime rationalis, malitia adulterij, vel fornicationis, irremittitas Dei, & alia eiusmodi, quæ qui negaret, esset proculdubio hæreticus, & incurreret omnes hæreticorum pœnas. Si autem obiecta hæc non essent reuelata, quantumcumque probari possent ratione naturali, nec sine culpa negari possent, adhuc non pertinerent ad fidem, quæ credere non potest quidquam, nisi propter diuinum testimonium, atque adeo qui ea negaret non peccaret contra fidem, & per consequens non esset hære-